



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CXCIX. Papst Johann XXII. verleiht dem Bischofe Ludwig von Brandenburg , weil derselbe noch nicht in den Besitz seines Bisthums gelangt ist, die früher bei den Stiftskirchen zu Halberstadt, Merseburg ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

non permittatis, eum super hiis et quibuslibet, aliis bonis et iuribus ad mensam predictam spectantibus, ab eisdem et quibuscumque aliis indebite molestari, uel sibi grauamina seu dampna uel iniurias irrogari, facturi ipsi cum ab eo seu procuratore ipsius, fueritis requisiti de predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione ecclesiarum, Castrorum, Villarum, Casalium, possessionum, censuum, reddituum, prouentuum, iurium, iurisdictionum et aliorum quorumcumque bonorum, necnon et de quibuslibet iniuriis et molestiis atque dampnis presentibus et futuris, in illis uidelicet, que iudicalem requirunt indaginem de plano sine strepitu et figura iudicii, et in aliis prout qualitas ipsorum exegerit, iustitie complementum. Occupatores seu detentores, molestatores, presumptores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, ordinis, dignitatis uel conditionis extiterint, quandocumque et quotienscumque expedierit, auctoritate nostra, appellatione postposita compescendo, Inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Pape VIII. Predecessoris nostri, quibus cauetur, ne aliquis extra suam Ciuitatem et dioecesem, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam etc. — trahatur et aliis quibuscumque constitutionibus a Predecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de iudicibus delegatis, quam conseruatoribus et aliis editis, que uestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obuiare. Sen si aliquibus communiter uel diuim a predicta sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi uel interdicti, seu extra certa loca ad iudicium euocari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi, et eorum personis et locis, ordinibus ac nominibus propriis mentionem, et qualibet alia indulgentia dicte Sedis generali uel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, uel totaliter non insertam, uestra iurisdictionis explicatio in hac parte ualeat quomodolibet impediri, et de qua eiusque toto tenore de uerbo ad uerbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Ceterum uolumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet uestrum prosequi ualeat articulum etiam per alium inchoatum, quamuis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data presentium sit uobis et unicuique uestrum in premis omnibus et eorum singulis, ceptis et non ceptis presentibus et futuris perpetua potestas et iurisdicatio attributa etc. — Constitutione predicta super conseruatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante, Presentibus post quinquennium minime ualituris. Datum Auinione XII. Kalendas Nouembris, anno duodecimo.

Nach einer Abschrift aus dem Vatikanischen Geh. Archive Ex Reg. litt. comm. Anni XII, ep. 603, p. 213, P. I.

CXCIX. Paps Johann XXII. verleiht dem Bischofe Ludwig von Brandenburg, weil derselbe noch nicht in den Besitz seines Bisthums gelangt ist, die früher bei den Stifstkirchen zu Halberstadt, Merseburg und Raumburg besessenen geistlichen Lehen, am 21. Oct. 1327.

Joannes XXII. etc. Venerabili fratri Ludowico Episcopo Brandenburgensi salutem. Exigentibus tue deuotionis meritis tuis libenter uotis annuimus, et personam tuam in hiis, que tuis necessitatibus oportuna fore conspiciamus, condignis fauoribus communitus. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod tu non credis ecclesie tue Brandenburgensis possessionem pacificam posse hoc

tempore adipisci absque maximis laboribus et expensis, pro eo, quod hinricus de Barebuye, qui pro electo eiusdem ecclesie falso se gerit, ecclesiam ipsam detinet occupatam, nec etiam speras aliquos fructus ex eadem ecclesia percipere propter potentiam Comitum, patruorum eiusdem hinrici, qui Marchionatum Brandenburgensem gubernant ad presens, quique eundem Hinricum in occupatione ipsius Ecclesie defendunt et protegunt minus iuste: quare nobis humiliter supplicasti, ut ne in opprobrium dignitatis Episcopalis mendicare cogaris, providere tibi de alicuius subventionis remedio dignemur. Cum itaque Canonicatus et prebende, quos in halberstadenfi et merseburgensi ac Nuemburgensi, ac archidiaconatus in oscherfleue in dicta halberstadenfi, quem in eadem halberstadenfi, ac quoddam officium simplex sine cura, uocatum officium Camere, quod in eadem Merseburgensi, necnon quidam redditus obedientie noncupati, quos in dictis halberstadenfi et Merseburgensi ecclesiis tempore promotionis tue per nos de te facte ad dictam Brandenburgensem ecclesiam, tum pastore carentem obtinebas, per huiusmodi promotionem ac consecrationis munus apud Sedem apostolicam de mandato nostro tibi impensum, apud Sedem eandem uacare noscantur ad presens, nullusque preter nos de illis disponere possit, pro eo, quod nos dudum ante uacationem huiusmodi omnes Canonicatus, prebendas, dignitates, personatus et officia, ceteraque beneficia ecclesiastica apud eandem Sedem quoque tunc uacantia et in antea uacatura, collationi et dispositioni nostre specialiter referuantes, decreuimus extunc irritum et inane, si secus super hijs a quoquam quauis auctoritate scienter uel ignoranter contigeret attemptari; Nos uolentes in hac parte huiusmodi tuis necessitatibus per circumspectam Sedis apostolice prouidentiam subuenire, Canonicatus et prebendas ac archidiaconatum, officium et redditus predicta sic uacantia, cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi auctoritate apostolica de speciali gratia commendamus, per te usque ad biennium a data presentium numerandum, una cum predicta Ecclesia tua Brandenburgensi tenenda, possidenda ac etiam gubernanda, ita quod eorundem Canonicatum, prebendarum, archidiaconatus officii et reddituum fructus, redditus et prouentus in usus tuos proprios conuertere ualeas; alienatione tamen bonorum immobilium ipsorum Canonicatum, prebendarum, archidiaconatus officii et reddituum tibi penitus interdicta; Non obstantibus quibuscumque constitutionibus in contrarium editis, ac quibuslibet statutis et consuetudinibus dictarum halberstadenfis, Merseburgensis ecclesiarum contrariis, iuramento, confirmatione apostolica uel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica uel alia quauis auctoritate in eisdem ecclesiis in Canonicos sunt recepti, uel ut recipiantur insistant, seu si super prouisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis ac dignitatibus seu personatibus uel officijs aut redditibus in eisdem ecclesijs speciales, uel de beneficijs ecclesiasticis in illis partibus generales dicte Sedis uel Legatorum eius litteras impetrariint, etiamsi per eas ad inhibitionem, referuationem et decretum, uel alias quomodolibet sit processum, quas litteras et processus habitos per eisdem ad Canonicatus, prebendas, archidiaconatum, officium et redditus supradicta uolumus, comenda durante huiusmodi, non extendi, set nullum per hoc eis, quoad affectionem Canonicatum, prebendarum, dignitatum, personatum, officiorum, reddituum, aut beneficiorum aliorum preiudicium generari; aut si Venerabilibus fratribus nostris Episcopis et dilectis filiis Capitulis halberstadenfi, Merseburgensi et Nuemburgensi, uel quibusuis alijs communiter uel diuisim a prefata sit Sede indultum, quod ad receptionem uel prouisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possint, quod de Canonicatibus et prebendis ac dignitatibus seu personatibus, et officijs ac redditibus eiusdem ecclesie, uel alijs beneficijs ecclesiasticis, ad eorum collationem, prouisionem uel quancumque aliam dispositionem coniunctim uel separatim spectantibus nulli ualeat prouideri per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam,

ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mentionem, etc. Datum Auinione, XII Kalendas Nouembris, anno duodecimo.

Nach einer Abschrift aus dem Vaticanischen Geh. Archive Ex Reg. litt. comm. Anni XII, Ep. 602, p. 213 P. I.

CC. Papsi Johann XXII. bevollmächigt den Bischof Ludwig von Brandenburg, die Ehe seines Verwandten Grafen Gebhard von Mansfeld mit der Gräfin Luckarde von Valkenstein durch päpstliche Dispensation zu legitimiren, am 21. Oct. 1327.

Joannes XXII. etc. Venerabili fratri Ludowico Episcopo Brandenburgensi salutem. Petito pro parte dilecti filij nobilis uiri Gheuehardi nati dilecti filij nobilis uiri Borchardi Comititis de Mansuelt, consanguinei tui, ac dilecte in cristo filie nobilis mulieris Luckarde, nate quondam ... radi Comititis de Walkensteyn, nobis exhibita continebat, quod cum idem Gheuehardus cum ipsa Luckarda, ignorans aliquod inter eos impedimentum existere, quominus possent matrimonialiter copulari, matrimonium inuicem per uerba de presenti in facie ecclesie, ut est moris, contraxit, carnali copula inter eos postmodum subsecuta; Verum quia postea compertum extitit, quod ipsi quarto consanguinitatis gradu inuicem se contingunt, propter quod in dicto matrimonio remanere non possunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta, nobis pro parte ipsorum extitit humiliter supplicatum, ut cum ex huiusmodi matrimonij separatione, si fieret inter eos, graues guerre ac multa pericula timeantur uerisimiliter suboriri, prouidere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum, et libenter crisi fidelibus quietis commoda procuramus, huiusmodi guerris et periculis obuiare, ac predictorum Gheuehardi et Luckarde animarum saluti paterna in hac parte sollicitudine consulere intendentes, gerentes quoque de circumspectione tua fiduciam in Domino specialem; fraternitati tue presentium tenore committimus et mandamus, quatinus, si est ita, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, cum eisdem Gheuehardo et Luckarda, quod impedimento consanguinitatis huiusmodi non obstante, possint in dicto matrimonio licite remanere, auctoritate nostra dispenses, Prolem susceptam et suscipiendam ex eodem matrimonio legitimam nuntiando. Datum Auinione, XII. Kalendas Nouembris, anno duodecimo.

Nach einer Abschrift aus dem Vaticanischen Geh. Archive Ex Reg. litt. comm. Epist. 600, p. 212, P. I.

CCI. Papsi Johann XXII. gestattet dem Bischofe Ludwig von Brandenburg für sich und seinen Hof Hausgottesdienst zu halten, ungeachtet des Interdicts, am 22. Oct. 1327.

Joannes XXII. etc. Venerabili fratri Ludowico Episcopo Brandenburgensi salutem. Meritis tue deuotionis inducimur, ut que pie desideras, fauorabiliter ad exauditionis gratiam admittamus. Nos itaque tuis supplicationibus benignius annuentes, fraternitati tue auctoritate presentium indulgemus, ut cum ad loca ecclesiastico supposita interdicto te peruenire contigerit, in illis clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis ac uoce submissa, per proprium sacerdotem ydoneum missam possis coram te et familiaribus tuis, sine iuris alieni preiudicio facere celebrari, dum-